



CAnutus regis Erici (qui in Dania præfuit) filius, multis uirtutibus ornatus erat. Itaque cum Slesuicensem ducatum cum Vuagria & Magnopoli gubernandum suscepisset, Lotharius Cæsar eum Obotritorum regem constituit, anno Christi circiter millesimo centesimo tricesimo, ut hoc modo Romanum imperium illustraretur. Erat Canutus acerrimus latronum uindex. Accidit autem quandoque cum carnifex de huiusmodi pœnam sumere statuisset, ut quidam ex medio damnatorum numero exclamaret, se de principis Canuti familia prognatum, sperans sese hoc modo uitam & impunitatem adepturum. Id quum Canutus intel-

lexisset, respondisse fertur: Cognato nostro, ut honoratior sit, sublimiorẽ crucem parate. Interim uerò Dani insensissimo animo erga Canutum erāt, quod ab Imperatore regiam dignitatem assumpsisset, timentes ne hac occasione Dania quandoque Germanis cederet. Itaque Niclotus rex Canuti patruus eum bello petijt, atque uictus in suam terram inglorius redijt. Cum autem aperto Marte contra Canutum Dani nihil efficerent, ad insidias conuersi, eum per Magnum regis filium ex improuiso trucidarunt. Hic postea ob pietatem & omnis generis uirtutes inter sanctos relatus est. Crantz. in Vand. libro tertio capite 34.